

IACOBVS SCHECKIVS PHILOSOPHVS TV-
bingensis.



Acobus in ducatu Vuirtenbergico Schoren-dorffij natus, atque à pueris in omni genere literarum optimè educatus fuit. Cum autem artium & linguarum rudimenta fœliciter percepisset, se se ad uarias Academias contulit, atque magna diligentia Philosophiæ operam dedit. In ea quoque uigilanti studio adeò profecit, ut rerum natura-lium cognitione nulli secundus esset. Itaque in Academia Tubingensi publicus Philosophiæ professor constitutus est. Eam functionem is magna laude peregit, atque eius Gymnasij maximum or-namentum extitit. Scripsit is Philosophiæ natu-ralis uniuersam tractationem, atque Aristotelis li-bros Acroamaticos scholijs suis illustrauit. Ex Aristotelis quoque de anima librīs, & ē prolixis Simplicij commentarijs breues interpretationes Græcas excerptis, atque Aphrodisei de mixtione librum transtulit.